

ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Non dixit: Beati divites, sed pauperes. Inde incipit beatitudo iudicio divino, ubi aerumna aestimatur. Beati, qui esuriunt, quia ipsi saturabuntur. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolationem habebunt. Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati estis, cum vobis maledicent homines et persequentur, et dicent omne malum adversum vos, propter iustitiam: Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelo. Futuram non praesentem: in coelo, non in terra mercedem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis, quod alibi debetur? Quid praepropere coronam exigis, antequam vincas? quid detergere pulverem? quid requiescere cupis? quid epulari gestis, antequam stadium solvatur? Adhuc populus spectat, adhuc athletae in scammate sunt, et tu iam otium petis? Sed forte dicas: Cur impii laetantur? cur luxuriantur? cur etiam ipsi non mecum laborant? Quoniam qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis: qui in stadium non descenderint, non se perfundunt oleo, non oblinunt pulvere. Quos manet gloria, expectat injuria. Unguentati spectare solent, non decertare: non solem, aestus, pulverem, imbresque perpeti. Dicant ergo et ipsis athletae: Venite, nobiscum laborate. Sed respondebunt spectatores: Nos hic interim de vobis iudicamus: vos autem sine nobis coronae, si viceritis, gloriam vindicabitis. Isti igitur qui in deliciis, qui in luxuria, rapinis, quaestibus, honoribus, studia posuerunt sua, spectatores magis sunt, quam praeliatores. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Foveant otium, astutia et improbitate aggerant divitiarum acervos, sed exolvent, seram licet, nequitiae suae poenam. Horum requies in inferno, tua vero in coelo: ho-